

Petri hyspani

222

Hic sequenter intendit determinare de locis medijs. Et ratio ordinata est. quia locus medius est medium per participationem quod presupponit cognitionem extremorum. ergo oportet primo scire extrema. scilicet locum intrinsecum et extrinsecum quibus locum medium. quia aliter procederet ex ignorantia. Et primo excusat se de definitione loci medij. Deinde dividit ipsum. quia aliter est a casibus alius a coniugatis. alius a divisione. Et consequenter ponit differentiam inter coniugata et casus ne videantur unus locus dialectice. Dicens coniugata sunt abstractum et concretum siue denominans et sumum denominatum. ut fortitudo et fortis. Et dicuntur coniugata quasi sub uno iugo significationis posita. quia abstractum et concretum idem significat. quia important eandem formam. ut albedo et album. Sed differunt in modo significandi. quia abstractum significat illam formam sine cadentia ad subiectum et cum precisione subiecti. Concretum vero significat eam sub inherencia et cadentia ad suum subiectum. Sed casus dicitur ea que cadunt a principali. ut iustum et iuste a iusticia. et hanc differentiam tangit philosophus secundo topicorum.

Querit Utrum locus medius sit in tres locos convenienter divisus. **Ad** id quod sic. quia habitudo loci medij est prima intrinseca et partim extrinseca. ut patet ex eius definitione. sed talis habitudo solum reperitur in his tribus locis. ut patet inductivae. quia coniugata conveniunt in se. et differunt in modo sciendi. et similiter casus. sed divisum et dividens conveniunt in potentia et differunt in actu. igitur sic.

Ad Locum a divisione est locus a disparatis. ergo male ponitur locus medius. **Ad** id quod membra dividenda possunt capi dupliciter. Uno modo secundum rationes proprias eorum. et sic semper sunt opposita vel disparata. et ab ipsis sumitur locus extrinsecus. Alio modo considerantur in quantum partim conveniunt cum diviso et partim differunt ab illo. et sic ab eis sumitur locus medius.

Ad Abstractum est causa formalis sui concreti. sed arguendo a causa formali ad suum effectum tenet argumentum per locum intrinsecum. ergo male ponitur hic inter locos medios. **Ad** id quod abstractum et concretum capiuntur dupliciter. Uno modo in quantum abstractum dat esse concreto. et sic est locus intrinsecus. ut albedo est. ergo album est. Alio modo capiuntur abstractum et concretum secundum quod partim conveniunt et secundum quod partim differunt. nam conveniunt in significatione. et differunt in modo significandi. et sic sumitur ab eis locus medius. et tunc arguitur semper a duobus abstractis ad duo concreta. vel e converso. nisi concretum sit transcendens quod etiam de abstracto predicari potest.

¶ Locus a coniugatis est habitudo unius coniugatorum ad reliquum. ut iusticia est bona. ergo iustum est bonum. **Locus a coniugatis** **Maxima. Quicquid convenit**
Ad id